



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

exemplo causæ secundæ, & primæ producente visionem creatam; ergo &c.

391. Prob. 4. defectò necessaria est quandoque elevatio purè externa per divinam omnipotentiam, specialiter assistentem, & applicatam intellectui, ad actus vitales supernaturales; primò est absolute possibilis talis elevatio extrinseca. Prob. antecedens ad homines. Per vos species naturalis defectò concurrebat cum intellectu (sive alia specie supernaturali) ad supernaturalem actum fidei, elevaturque per habitum, ut constat à num. 333. sed habitus supernaturalis non est inhærens speciei naturali; ergo &c. Confir. 1. actus disponentes ad justificationem in infideli, ut fidelis fiat, procedunt ab omnipotentia extrinsecè applicata, non autem ab habitu fidei, cum infidelis illo careat; ergo &c. Confir. 2. & præoccupantur aliquorum responsiones; ut infidelis eliciat actum fidei, quo se disponat ad justificationem, non debet neque gratia justificans (gratia non datur in peccatore) neque habitus fidei in infideli, neque ultima dispositio disponens ad formam. potest effectivè produci à forma, ad quam disponit, cum sit prior natura ipsa formâ, ut latius dicemus in Tractatu de gratia; ergo talis actus supernaturalis fidei elicitus ab infideli, procedit ab omnipotentia extrinsecè applicata, locò habitus fidei, ac proinde defectò datur actus vitalis supernaturalis procedens à principio elevante non inhærente: de objecto autem, quod haberet voluntas divina extrinsecè applicata, dicendum est juxta ea, quæ de decreto applicativo omnipotentia diximus in tractatu de Deo à num. 1029. Illa enim volitio haberet pro objecto nolito principium elevans inhærens; pro volito verò actionem ut terminum *ad quem*, intellectum, ut terminum *cui*, omnipotentiam, & alia subsidia se habentia ex parte potentia, ut terminum *qui*, quæ omnia, cum respiceret modo suo tendendi, distingueretur ab altera voluntate, talem tendendi modum non præferente, nonnulla alia latius constabunt in tractatu de gratia.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

392. Objic. 1. ex D. Thoma pluribus in locis docente intellectum creatum non posse videre Deum absque lumine intrinseco, vel permanente, vel transeunte; ergo elevatio per auxilium extrinsecum omnino repugnat. Confir. Quando D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 2. ad 2. dixit lumen gloriæ per modum transeuntis fuisse in D. Paulo, quando raptus fuit, satis insinuat, non solum juxta ordinarias hujus providentiæ leges, verum etiam juxta quascunque leges extraordinariæ providentiæ repugnare visionem supernaturalem absque principio inhærente, & elevante; ergo &c. Resp. 1. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia D. Thomas illis in locis loquitur de elevatione juxta exigentiam habitualis gratiæ, cui connaturales sunt

potentiæ intrinsecæ, ut diximus 332. Non autem loquitur de potentia extraordinaria, in quam Deus disponere potest & operari, supra leges præsentis providentiæ. Ad Confirmationem neg. ant. quia in illis verbis D. Thomas solum significat visionem tunc Paulo concessam fuisse supra communem viatorum ordinem, & locò luminis gloriæ repositam fuisse principium intrinsecum transeuntis, non autem docet, ut illa, aut quævis alia fieri non possit de potentia absoluta, absque comprincipio inhærente, & elevante, sed omnino supponit possibile esse contrarium, ut constat ex ipso D. Thoma doctrina tradita num. 389.

Objic. 2. Non potest intellectus elevari ad intuitivam visionem, nisi ex impotente fiat potens; atqui per extrinsecam assistentiam omnipotentia, aut cujusvis alterius supernaturalis virtutis nequit reddi ex impotente potens; ergo &c. Prob. min. intellectum esse potentem, est denominatio intrinseca; sed per intrinsecam assistentiam omnipotentia, aut alius alterius virtutis non acquirit intellectus denominationem intrinsecam; ergo &c. Confir. 1. Intellectus intrinsecè est impotens ad visionem, sed addita solum extrinseca assistentia supernaturalis virtutis, permanet intellectus intrinsecè, sicut antea, ac proinde impotens; ergo &c. Confir. 2. Nulla causa potest esse, nisi habeat in se virtutem agendi; atqui per extrinsecam virtutis assistentiam non habet intellectus in se virtutem agendi; ergo &c. Confir. 3. Nequit ea producere effectum, quem in se non præcontineat; atqui si intellectus non habet in se virtutem intrinsecam ad visionem, non præcontinet in se visionem; ergo &c.

Resp. dist. majorem nisi ex impotente fiat potens per adventum principii, quod deficiebat, & modo, quo deficiebat, ut posset, conc. maj. modo quo non deficiebat, neg. maj. & dist. min. & consequentiam. Ratio est, quia causa secundaria partialis potest esse impotens, vel quia se sola non præcontinet virtutem effectus, atque adeò requiritur, quod constituat cum comparte aggregatum præcontinens eminenter effectum, vel quia deficit ipsi capacitas ad constituendum tale aggregatum. Quando defectus provenit ex incapacitate constituendi aggregatum, nullo modo suppleri potest: sic lapis non potest constituere cum intellectu virtutem intellectivam, quia nulla habet capacitatem ad intelligendum, quantumvis cum comprincipio alio conjungatur: quando autem defectus provenit ex eo, quod non detur comprincipium, sine quo aggregatum non constituitur, tunc suppleri potest, sive comprincipiū illud adveniat intrinsecè, sive extrinsecè; sic qui solum potest elevare pondus ut quatuor, eo quod cum alio possit constituere virtutem elevativam ponderis ut octo, vel per intrinsecam additionem virium, si Deus vires intrinsecas altiores conferret, vel per extrinsecum, nimirum si cum altero simul potentior pondus

pondus elevarer. Sic Deipara se sola impotens Christum generare per assistentiam Spirit. Sancti facta est potens. Cum autem intellectus in hoc genere indigeat augmento virtutis ad producendam visionem; exinde apparet evidens, hanc virtutem supervenire posse sive intrinsecus, sive extrinsecus, qua intellectus potens reddatur.

395. Ad 1. Confir. dist. maj. intrinsecè est impotens ad visionem se solo producendam, conc. cum comprincipio elevante, nego maj. & dist. min. nego consequentiam. Nam cum illa impotentia non oriatur ex incapacitate constituendi cum comprincipio elevante aggregatum eminenter continens visionem, potest adveniente comprincipio illo tale aggregatum continere, quapropter, sive illud comprincipium superveniens sit intrinsecum, sive extrinsecum, poterit cum illo effectivè concurrere ad visionem, ut in exemplis numero superiori adductis constat. Ad 2. Confir. dist. maj. nisi habeat virtutem agendi totalem, neg. nisi habeat saltem partialem, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam. Ad tertiam confir. dist. maj. quem in se non præcontinet neque se sola, neque simul cum alia comparte, concedo, quem in se non præcontinet se sola, neg. maj. & dist. min. nego consequentiam; quæ & in causis naturalibus partialibus, & in causis obedientialibus falsa omnino est, adhuc in sententia ipsorum adversariorum; sic species naturalis se sola non præcontinet cognitionem naturalem, & tamen apud adversarios est partialis virtus productiva cognitionis, ex dictis num. 318. Sic species ipsa naturalis se sola non præcontinet actum supernaturalem, & tamen est inadæquata virtus ipsius actus supernaturalis causativa apud ipsos adversarios, ut constat ex num. 333.

396. Objic. 3. Principium vitale ex suo conceptu est virtus intrinseca operanti, atqui principium elevans intellectum ad visionem Dei est vitale; ergo ex suo conceptu est intrinsecum intellectui videnti, atque adeo suppleri non potest per extrinsecam visionem, sive non inhaerentem. Prob. min. visio, ad quam elevatur intellectus, est intrinsecè vitalis, & supernaturalis, ergo & principium elevans DEI est intrinsecè, sive innaturalis est. Confir. 1. Principium intellectus naturalis est vitale, & intrinsecè naturale, neque habere potest naturalitatem extrinsecam: ergo principium intellectus supernaturalis debet similiter esse vitale cum intrinseca supernaturalitate. Conf. 2. Si extrinseca assistentia omnipotentiae elevare posset intellectum ad visionem Dei necessariò, elevarer omnem intellectum, & damnatorum, eo quod omnibus assistat necessariò præsens; sed hoc planè est absurdum; ergo &c.

397. Resp. dist. maj. Principium formaliter vitale, conc. principium vitale solum arguitur ratione solum virtutis productivæ universalis, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ad prob. conc. ant. & neg. consequentiam, quia visio est indivisibilis, adeoque si formalitas vi-

talitatis est identificata cum formalitate supernaturalitatis, visio non potest esse intrinsecè vitalis, quin sit intrinsecè supernaturalis, at verò virtus concurrens ex parte principii, non est indivisibilis, sed constituta ex duobus partialibus, cum autem inter duo realiter distincta possit unum esse naturale, & alterum supernaturale absque ulla contradictione, exinde à visione ad principia nulla tenet partitas, quod & adversarii sui in memores & docent in cognitione naturali, quæ tota est formaliter vitalis, & tamen species impressa, à qua cum potentia producitur, non est formaliter vitalis. Ad 1. Confir. omitto ant. & nego consequentiam. Quia principium intellectus naturalis est ejusdem ordinis cum intellectus producta, & cui producta intellectus debetur; cum autem intellectus naturalis producta non possit deberi principio sui ordinis, quin tale principium naturale sit, nec naturalitas, cum non sit exaltatio entis, haberi possit ab extrinseco; exinde tale principium manet naturale intrinsecè, at verò in potentia obedientiali aliter res contingit, quandoquidem ad producendum effectum exaltari debet per principium elevans, cum quo supernaturaliter constituitur concretum continens virtutem supra naturam, cum autem una pars concreti naturæ sit intrinseca concreto, non est necesse, quod sit alteri compati intrinseca, ut patet in duobus elevantibus pondus, ad quod nemo ex illis se solo sufficit; exinde potentia obedientialis non requirit supernaturalitatem intrinsecam, sed facit illi supernaturalitas, quod est in potentia naturali intellectiva, docent adversarii, dum asserunt, intellectum debere habere vitalitatem formalem ad producendam intellectus formalem, quin species impressa, aut objectum habeat vitalitatem formalem, sed solum extrinsecam supervenientem à cognitione cum vitalitate formali. Ad 2. Confir. nego maj. quia omnipotentia omnibus assistens, non est causa operativa, nisi juxta Dei libitum, ut constat ex Scriptura, Sapient. 12. de Deo dicente: *Subest non tibi, cum volueris posse.* Cum autem Deus non velit cum omnibus concurrere ad visionem, exinde, quamvis necessariò sit præsens omnibus, non concurrat necessariò cum omnibus ad visionem, quod patet in Spiritu Sancto assistente Deiparæ ad Christum generandum absque ulla inhaerentia, qui in reliquis non concurrat ad talem generationem, licet sit necessariò omnibus præsens.

398. Objic. 4. D. Thomas alicubi indicat hominem à natura habere potentiam solum receptivam formarum supernaturalium; ergo non habet virtutem obedientialem activam. Confir. 1. quia idem S. Doctor pluribus in locis docet; Sacramenta novæ Legis elevari ad producendam gratiam physicè per virtutem transeuntem sibi intrinsecam, atqui inutilis esset hæc virtus intrinseca transiens, si ipsa Sacramenta possent obedientialiter elevari ad producendam immediatè gratiam; ergo non possunt, ac proinde neque

neque ulla res naturalis elevari potest ad producendum obedientialiter immediate effectum supernaturalem. Confir. 2. Si in entitate reali reluceret potentia partialis elevabilis ab altera supernaturali virtute ad producendum immediate cum ipsa effectum supernaturalem, talis potentia esset entitativè naturalis, & supernaturalis, finita, & infinita: sed hoc implicat; ergo &c. Prob. maj. nam esset naturalis, & finita, quia esset identificata cum creatura naturali, & finita; rursus esset supernaturalis, quia potentia specificatur ab objecto, ad quam ordinatur, & est ejusdem ordinis cum illo; tandem esset infinita, quia esset elevabilis ad producendum quodcumque producibile; ergo &c.

399. Resp. dist. ant. solum receptiva sine principio elevante, quo indigeat ad recipiendum, conc. solum receptiva, si jungatur cum principio ad producendum, neg. ant. & consequentiam. Quia D. Thomas solum docet naturam non indigere prævia elevatione, ut recipiat rem supernam, sive ut accipiat perfectionem; bene verò ut perfectionem supernam conferat, & producat, ut constat à num. 389. Ad 1. Confir. dist. maj. In hac providentia, in qua effectus supernaturales à sacramentis conferentibus gratiam, producuntur juxta connaturalitatem gratiæ, conc. de potentia absoluta, neg. maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex dictis num. 358. Ad 2. Confir. neg. maj. Ad prob. neg. ant. Quoad secundam partem, quia illa potentia esset naturalis secundum rectum, supernaturalis verò secundum obliquum, à quo denominaretur, qua de causâ absolute dicitur obedientialis, & non naturalis ex num. 355. Exinde autem non esset infinita, quia, ut esset infinita, requireretur, quod vel in se haberet illimitationem, vel se sola in genere causæ secundæ posset revocare virtutem infinitam effectis conferre, hoc autem potentia obedientialis non potest. Quod autem simul cum conprincipio elevante possit producere quemcumque effectum non repugnantem, non arguit in ipsa infinitam virtutem, sed solum significat, esse possibilem sine categoricè infinita principia superna, quibus potest elevari, & cum quibus potest concurrere, vel esse infinita omnipotentia, quæ loco illorum conprincipiorum substitui potest. Virtus enim, quæ cum conprincipiis syncategorematicè infinitis potest producere effectus syncategorematicè infinitos, non est infinita, sed finita, ut

ipsi adversarii, sui immerores, docent in animâ quæ naturaliter est æterna, simulque potest per totam æternitatem actus naturales producere, quin exinde sit infinita, sed reverà finita.

Objic. 5. Denominatio purè intrinseca nequit suppleri ab extrinseca; sic partes nequit reddi albus per formam extrinsecam, sed per formam intrinsecam sibi unicam, atqui denominatio, quam præstat lumen intellectui, est purè intrinseca, cum consistat in inhæione ipsius luminis cum intellectu; ergo nequit suppleri ab extrinseco. Resp. conc. maj. & dist. min. denominatio intrinsece informantis, conc. denominatio compotentis cum conprincipio elevato, neg. min. & conf. Explico solutionem. Duo præcipua sunt luminis munera, alterum est intellectum informare, ipsi inhærendo, & hoc quidem munus suppleri non potest per extrinsecum; alterum est constituere cum intellectu concretum continens virtutem productivam rei vitalis supernaturalis, & hoc munus non solum potest haberi per intrinsecum, sed esse indifferens, ut habeatur per intrinsecum, vel extrinsecum. Unde tale munus optimè potest ab extrinseco suppleri; sic qui solus potest elevare pondus ut duo, potest à Deo recipere intrinsecam virtutem sibi inhærentem, qua possit elevare pondus ut quatuor; illa autem intrinseca virtus recepta, duo haberet munera, alterum informantis, & inhærendi, quod per extrinsecum suppleri non potest; alterum constituendi cum virtute in qua recipitur concretum continens virtutem elevativam ponderis ut quatuor, & hoc quidem munus indifferens esset, haberetur per intrinsecum, sicut in casu, de quo loquimur, vel per extrinsecum, sicuti contingeret casu, quo duo homines simul elevent pondus illud ut quatuor, quod nullus ex illis se solo elevare posset. Idem dicimus in casu nostro; licet enim informatio luminis non possit suppleri per extrinsecum, cum sit denominatio purè intrinseca, constitutio tamen concreti continens virtutem productivam supernaturalis visionis indifferens esset, haberetur per conprincipium intrinsecum, vel conprincipium extrinsecum: esset quippe constitutio virtutis merè in genere productivæ, quæ, ut in exemplo constat, indifferens est, ut habeatur per intrinsecum, vel extrinsecum, cum augmentum virtutis productivæ utroque modo haberi possit.

DISPUTATIO X.

UTRUM INÆQUALITAS INTELLECTUS CUM ÆQUALITATE LUMINIS, ET OMNIS PRINCIPII ELEVANTIS PRODUCERE POSSIT INÆQUALEM DEI VISIONEM?

401. CErrum est apud omnes, visiones beatificas, sive hominum, sive Angelorum, esse inter se inæquales, ac diversas, quantum ad perfectionem accidentalem intensivam vel extensivam ex illo Joan. 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt*, & ex 1. Corinth. 15. *Stella differ à stella*